

militaris ordinis genealogias dignissimè connumeretur, & primò. In nullo namq; meam occupationem dignius detineri posse ratus sum, quàm versare calamo mundanarum omnium dignitatum culmen, illustrium quoq; Germanorum laudem: à quibus olim ecclesiæ orthodoxæ salus magna ex parte pendebat, & in sanctam Petri sedem ingens relucebat fides meritorum, profectòq; tam latè reluxit, ut nulla sit tellus, nulla insula, portus, aut maris sinus, ad quem Germanorum fulgidissimi nominis fama non penetraverit. Quorum utiq; virtute gestum est, ut inclitum Imperium summaq; rerum maiestas ex remotissimis Graciæ claustris migrando, cætera planè orbis despiciens climata, soli Germania gremio insideret. Ad te verò, diue Cæsar, qui summi iam tenes sceptræ imperij, & alta Germania gubernacula geris, hunc meum libellum de Cæsarea monarchia potissimum inscribere volui, ut quod mea exilitas obnubilat, tua excellenti virtute & auctoritate fulgescat. Nusquam enim conuenientius Musa imperialis præconi, quàm coram summa potestate tua inferri poterit, ut auctoritate tanti nominis maiorumq; tuorum promotus gloria ad amplissimam & felicissimam famæ tuæ propagationem feruentius animeris, & ita maximorum gestorum tuorum adaugeas cumulum, ut in te uno & celebratæ quondam Germanicæ nobilitatis virtutem reuirefcere, & antiquam triumphalis imperij laudem victrici dextera tua denuò restaurandam esse speremus. Ne autem serenissime Princeps, existimes velim, tantum me in præconia Germanicæ nationis stilum erexisse; sed & in vitia quoq; quibus imperij potentatus elanguit, inuectum: ne vel blandiri me patria crederes, vel virtute, quod suum est, neglexisse putares. Sed cum in minimis etiam rebus (ut in Timeo Platoni placet) diuinum præsidium debeat implorari, leuatis sursum oculis læta sic imprecor voce:

Æterne ô splendor, lux ô clarissima mundi,
 Terrarum cælique fator. tu mitis ab alto
 Prospice, diuinoq; opus hoc spiramine ducas:
 Cæsaris vt magni non ingratum auribus adsit.
 Teutonicæ rauco canimus modulamine laudem,
 Imperijque sacri varium per tempora cursum.
 Austria stella micans quod suscipe, maxime Princeps.

C A P I.